Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1061

Quelle:
Copyright:

cat, *Hagiologio* totus *Johannis* ſive ſub Proconſule *Epheſi*, ſive ſub *Domitiano Romae* Αγων, quem non ſolum *Codex* noſter, ſed etiam *Bonin. Mombritius* in impreſſis ſub Typographiae initia *Mediolani* SS. Vitis exhibet.

CCCCXLV.

R. 4 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 115. ejusdem cum praecedente, cujus Pars II. eſt, rationis *Lectionarium* a Dominica Paſchatis ad Dominicam XXIV. poſt Pentec. complet. Hic quoque ad imam oram *fol.* 1. legitur: *Liber iſte eſt Congregationis Caſinenſis alias Sancte Juſtine de padua deputatus in Monaſterio Sancti Severini et Soc. de neapoli. Sign. num. 92.* Titulus miniatus eſt: *In Die Sanctum paſche. Lectio Sancti Evangelii Secundum Marcum. In illo tempore Maria magdalene et maria iacobi* &c. *Homelia Beati Gregorii pape. Multis Vobis Lectionibus Fratres kariſſimi per dictatum loqui conſueui* &c. Habetur *Homiliarum* L. II. *Hom.* 21. edit. *Maur.* T. I. *Pariſ.* 1705. *col.* 1526. f. Atque Parte hac Homiliae ferme omnes e *Gregorio* et *Beda* depromuntur. Libri Scripturae, e quibus legitur, ſunt: *Apocalypſis, Actus Apoſt. Libri Regum, Proverbia, Job, Tobias.* A *fol.* 92. character ſuccedit craſſior, major. Poſt Dominicam XXIV. adſcripta eſt *Dominica de Sancta Trinitate*, cujus Lectiones maximam partem petitae ſunt ex *Alcuini* Opuſculo *de Fide S. Trinitatis*, eique adnexa *Confeſſione*, prout haec habentur edit. *Ratisb.* T. I. P. III. p. 703. f. *Fol.* 112. p. 2. ſequuntur Acta Martyrii S. *Agathae* ſub hac rubrica: *Non. Febr. Natale Sancte Agathe Martiris.* Eorum initium: *Beatiſſime Agathe Martiris que paſſa eſt in prouincia ſicilie in urbe cathanienſium ſub decio imperatore. ipſo decio proconſule die nonarum februariarum recitamus yſtoriam. Quintianus conſularis ſicilie audiens* &c. Extant apud *Mombritium* ſupracit. et inde apud *Bollandianos T. I. Febr.* p. 615. τὸ *decio proconſule* σφαλμα eſt pro *ter* vel *tertium Conſule.* Demum *fol.* 114. p. 2. ἀνεπιγραφως occurrit Narratio de Cruce a *Conſtantino* M. in coelo viſa, et nato inde ejus ſtudio Crucem Servatoris reperiendi, in quem finem *Helenam* matrem *Hieroſolymam* miſiſſe dicitur Cruce tandem poſt varias cum *Judaeis* diſceptationes potitam. Figmentum eſt *Graeculi* cujusdam barbara hic verſione donatum, quae infit: *Anno ducenteſimo tertio decimo regnante uenerabili dei cultore conſtantino in ſexto anno regni eius gens multa barbarorum congregata eſt ſuper danubium* &c. Legitur graece inter *Narrationes dubiae fidei* apud *Jac. Gretſerum de Cruce Chriſti* T. II. *Ingolſt.* 1600. p. 540. 4. hoc titulo et initio: Οπτασια Κωνσαντινω τω μεγαλω βασιλεως περι της Ευρεσεως τω τιμιω Σταυρω. Εν ετει εξδομω της βασιλειας Κωνσαντινω τω μεγαλω βασιλεως, μηνι Ιαννουαριω συνηχθησαν πληθος βαρβαρων επι τον ποτα-